

APPENDIX.

xxxv

datis, ex quibus vel simpliciter, quæ ad quæstiones darentur responsiones, audirent, vel in disceptationem descenderent, si forte non esset, cur in declarationibus eorum nudis subsisterent.

Item multa, ratione modi agendi, in ampla ejusmodi et singulari ratione instituenda Herrnhutianorum synodo generali, incommoda essent impeditura, quo minus ecclesiæ Wurtembergensis ablegati, varias ob causas sine ignominia adesse queant et interesse, qui ex parte nostra ut nos exponamus, nulla plane urget necessitas, et quæ ejus generis sunt plura. Ratione eventus, de emolumento nempe aut damno exinde emersuro, magna restaret quæstio, quum res in periculum facile in ipsa ecclesia nostra abire posset schisma, si ex nostris aliis huic, aliis alteri studerent parti, aut exacerbatæ omnino controversiæ inde nascerentur. Præ ceteris,

VI. necessarium quoque foret et æquitati consentaneum, ut et reliqui de ipsorum gravaminibus hucusque allatis in eodem audirent loco, secundum regulam: Audi et alteram partem. Cujus autem rei obtainendæ spem nullam rationi consentaneam esse, facile ex Actis adhuc in medium prolatis colligi potest, quippe quæ testes sunt, quam odiose, insultanter et contemte omnes Theologi et scriptores ii, qui animo quoque integerrimo et partim experientia docti, partim probationem offerentes juridicam, si opus esse videretur, contra hos homines scripserunt, ab ipsis sint habiti. Licet facillime etiam fieri posset, ut neque hæc pars adversa requisitam synodus generalem foret et theatrum suum competens esse censeret, et uberiorem rerum explicationem candido et publica auctoritate constituto judici exhibere malleat, quod tamen prope diem vix ac ne vix quidem fieri poterit. A recta quoque

† † 2